

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Deuocio a
cum fonte primo

Non putrescit cor, si leuetur ad Deum.
Frumentum tuum, si haberes in inferioribus ne putresceret,
leuares illud ad superiora.
Frumento tuo mutare queris locum,
et cor permittis in terra putrescere.
Frumentum leuares ad superiora; cor leua in celum.
Et unde, inquis, possum?
Qui funes, que machine, que scale opus sunt?
Gradus affectus est; iter tuum uoluntas tua est.
Amando ascendis, negligendo descendis.
Stans in terra in celo es, si diligis Deum.

Augustinus super Psalmum LXXXV.

Ibi enim non putrescit cor, si leuetur ad Deum.
Frumentum si haberes in inferioribus, ne putresceret,
leuares ad superiora.
Frumento mutares locum,
et cor permittis in terra putrescere?
Frumentum leuares in superiora; cor leua in caelum.
Et unde, inquis, possum?
Qui funes, quae machinae, quae scalae opus sunt?
Gradus, affectus sunt; iter tuum, uoluntas tua est.
Amando adscendis, neglegendo descendis.
Stans in terra, in caelo es, si diligas Deum.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalms*, 85.6
(CCSL 39, E. Dekkers & J. Fraipont eds., pp.1180-1, ll.9-15).